

argenteas duas, pensantes singulas libras viginti; A scyphum argenteum unum, pensantem libras decem; calices ministeriales argenteos tres, pensantes singulos libras duas; coronam argenteam pensantem libras decem; fundum Antonianum via Clodia, præstantem solidos triginta; fundum Bacchanas (al. Vaccanas) via Appia, præstantem solidos quadraginta et tremisses (al. trimisios) duos; fundum Morrea (al. Orrea) via Ardeatina, præstantem solidos quinquaginta quinque et tremissem (al. trimisium unum). Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem decembrem, presbyteros viginti quinque, diaconos sex, episcopos per diversa loca viginti septem. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, quod ipse constituens fecit pridie Nonas (al. secundo Nonas) octobris, et cessavit episcopatus dies viginti.

§ II. — QUANDO ET QUAMDIU SEDERIT.

(Ex D. Constant.)

Hujus papæ initia ac mors in Bucheriano catalogo sic designantur: *Marcus menses 8, dies 20. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo consulibus, ex die 25 kalendas februarias, usque in die nonarum octobrium consulibus suprascriptis, hoc est anno 356, Januarii 18 die, quæ Dominica erat, pontificatum inivit, et eodem anno, Octobris 7 die, quo etiamnum memoria ejus in Ecclesia recolitur, ad superos abiit. Hic fidem suam libri pontificalis artifex manifeste prodit, cum Bucherianum catalogum negligenter exscribens in hunc modum, Fuit temporibus C*

Constantini Augusti, et Nepotiani ac Secundi consulum, ex die kalendarum februariarum usque in diem kalendarum octobris, Marci pontificatum ad nullum mensem decembrem pervenisse poni; ac nihilominus eum subicere non puduit: Hic fecit ordinationes duas per mensem decembrem, presbyteros 25, diaconos 6, episcopos per diversa loca 27.

§ III. — DE DECRETO IPSI ATTRIBUTO.

(Indidem).

Marci nulla, nisi quæ Isidorus Mercator commentus est, scripta novimus; alii tomo servanda. Si tamen libro pontificali habenda fides, constituit ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Urbis, tum pallio uteretur, et ab eodem episcopo urbis Romæ consecraretur. Ostiensis quidem episcopi privilegium, quo Romanum pontificem consecrat, antiquum esse, testis est Augustinus in Breviculo Collat. cum Donat., n. 29, ubi memoratur consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum ecclesiæ Carthagenensis ordinent, sicut nec Romanæ ecclesiæ ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus. Verum cum pallii eo intellectu, quo hic usurpatur, nulla in sinceris monumentis ante Symmachum papam mentio occurrat, hoc decretum jure suspectum, immo et suppositivum videatur. Quamvis enim ornamenti hujus usum Symmacho papæ primum attribuere nolim, altum tamen de illo in tot decessorum scriptis silentium maximo argumento est, non longe antea nonnullis episcopis singulari quodam privilegio concedi cœpisse.

NOTÆ SEVERINI BINII.

quo summus honor et plena ejus potestas significatur: quodque ab eodem metropolitanis episcopis aliquando ob causas arduas et rationabiles impartiri solitum fuit. Hoc alias appellatur Phrygium, fortasse ideo, quod Phrygiorum opere crucibus contexti soleret. Baron., anno 356, num. 65, Phrygium Cyrillo Alexandrino, cum vices pontificis in concilio Ephesino sustineret, a Cœlestino pontifice Romano collatum fuisse, ipsumque illud in concilio Ephesino et in sacris solemnibus more Romani pontificis usurpasse scribunt Theodorus Balsamon in Nomocanonem, Photius; tit. 8, c. 1; Baron. anno 450, num. 26. Quod asserit Hieronymus Rubeus, Joanni ejusque successoribus Ravennatis ecclesiæ archiepiscopis, privilegio Valentiniani imperatoris usum pallii concessum fuisse, ipsorum archiepiscoporum confessione, apud Greg., lib. II, epist. 54, extante, diluitur, qua usum pallii non

imperatori, sed Romano pontifici acceptum referunt. Edictum quod Hieronymus prætexit, commentivum esse et a schismaticis confictum ostendit Baronius anno 452, num. 92, 93, 94 et 95.

Tempore jejunii usus pallii prohibitus fuisse videtur ex epist. 54, lib. II, Gregorii papæ, qua adversus Joannem Ravennatem jure expostulat, quod tempore jejunii per plateas et vias pallium gestaret. Baronius, anno 451, num. 65. Adde pallii nomine omne operimentum in rebus sacris significatum fuisse, ut lib. II, epigr. 3, declarat Venantius Fortunatus, ubi vela oblata sanctæ cruci pallia nominat. Vide Baronium anno 356, num. 64.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem. Hæc qua fide auctoris scripta sint, patet ex præcedentibus.

SCRIPTA DUBIÆ AUCTORITATIS.

EPISTOLA (1) SANCTI ATHANASII

ET ÆGYPTIORUM EPISCOPORUM AD MARCUM PAPAM.

(Conc. I. II, col. 466, ad. Labb.)

De numero canonum Nicænorum pro exemplaribus Nicæni concilii, quia Ariani eorum exemplaria incenderant.

Domino sancto et apostolici culminis venerando sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis atque universalis ecclesiæ papæ, Athanasius et universi Ægyptiorum episcopi.

Ad vos pervenisse non dubitamus, quanta et qua-

(1) Hæc Mercatoris merces Bar. Bell. aliisque peritis catholicis merito suspectæ et suppositæ visæ sunt. nec Bisnii ipse difflitetur, Baronianis rationibus oppressus.

D lia ab hæreticis, et maxime ab Arianis quotidie patimur: quoniam intantum ab eis persequimur, ut etiam vivere jam nos tædeat. Nam instanti tempore subito et insperate in nos irruentes, nosque juxta præceptum Domini qui ait: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (Math., x)*, fugiendo propter cladem populi eos declinantes, nos comprehendere non valuerunt, sed omnia depopulati sunt. In tantum enim nostra vastaverunt (1), ut nec libros, nec vestimenta ecclesiastica, aliaque ornamenta, nec reliqua

(1) Contigerunt ista sub Liberio, an. 355.

utensilia nobis dimitterent. Libros vero nostros usque ad minimum incendentes, nec iota unum relinquentes, propter veritatis fidem, etiam Nicænam synodum, qua modo clerus et populus imbuebatur, et maxime jam imbuti erant, in contumeliam nostram et omnium christianorum incenderunt. Quapropter precamur, pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni concilii exemplaria, ut nobis illa, quæ sanctæ recordationis prædecessoris Silvestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prædictæ synodo cum beatæ memoriæ Alexandro, digno Deo pontifice nostro, id est, Alexandrinæ magnæ civitatis episcopo, in diaconatus interfuimus officio, sub nostræ præsentis testimonio, per beatos viros Victorem et Vincentium presbyteros, apostolicæ sedis apocrisarios, missa sunt prædicto papæ Silvestro cum ad stipulatione subnexa (1) capitula septuaginta. Sane præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt synodo, scilicet quadraginta a Græcis, græca edita lingua, et quadraginta a Latinis, similiter latina edita lingua. Sed visum est 318 patribus, Sancto Spiritu repletis, in prædicto concilio congregatis, et maxime jam dicto Alexandro et apostolicæ sedis apocrisariis, ut decem capitula adunarentur aliis, atque congruis locis insererentur; et ad formam septuaginta discipulorum, vel potius totius orbis terræ linguarum, septuaginta tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, quæ omnem christianorum informarent orbem, et omnes sub sacerdotali et christiano nomine degentes una fides et una sacerdotalis atque clericalis regeret norma, nec quisquam a suo (S. Leo, ep. 84) dissideret capite. Nunc ergo quia (ut prædictum est) ab inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ, et maxime ab Arianis, a quibus quotidie expugnamur, conterimur et opprimimur, præfata septuaginta Nicæni concilii capitula, quæ de præfata synodo jam facta, jubente Domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitavi, atque transcripsi, sunt igne combusta; optamus ut a vestræ sedis auctoritate, quæ est mater et caput omnium

(1) Legendum *subnixa*, ut ex mediæ ætatis Innumeris diplomatibus constat.

NOTÆ SEVERINI BINI.

Rescriptum. Epistola Marci ad sanctum Athanasium episcopum Alexandrinum, et ad cæteros Ægypti episcopos, Nepotiano et Facundo consulibus, 10 kalendis novembris scripta legitur, cujus argumentum ex epistola Athanasii aliorumque ejusdem provinciæ episcoporum ad eundem Marcum intelligitur hoc fuisse; nempe Ægyptios dira Anianorum persecutione vexatos, inter alia Nicænorum canonum, qui una cum omnibus aliis libris ad iisdem incensi fuerunt, exemplar a Romana ecclesia iisdem datis ad Marcum papam litteris postulasse. Quibus quidem litteris, tum Marci, Nicænorum canonum numerus definitur, nimirum ab eadem magna synodo statuta fuisse septuaginta, secundum, ut aiunt, numerum discipulorum, capitula. Baronius, num. 58. Hanc surreptitiam et ab aliquo confictam fuisse quinque rationibus evidenter ostenditur. Quarum prima hæc est: quod in contro-

ecclesiarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentis legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi a memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris evadere, nobisque commissos eruere valeamus. Vere novimus (*conc. Rom. sub Greg. H, ann. 721*) apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus instantum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis: quanto magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis et sumus et semper esse volumus. Ideo decet, et oportet vos nobis hæc quæ rogamus, et alia quæ necessaria (juxta sapientiam, quam vobis præstitit Altissimus) esse cognoveritis, absque tarditate præstare, ut tantæ miseræ squalores a fidelium mentibus detergantur, et quasi vulnus corpori infixum, auditu tantæ miseræ oberato (1), salutari curetur antidoto, ut divino freti juvamine, vestraque auctoritate atque auxilio roborati, adversantium tergiversationes evadere valeamus, atque inconcusso vultu, non fraude cujusquam percussi, assestere æterno iudici mereamur, et vocem audire inquietem: *Euge, serve bone et fidelis, quia super paucos fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui (Matth. xxv)*. Et subscriptio. Oran-tem pro nobis sanctum apostolatum vestrum longævus Dominus conservet temporibus (*Joan. II pap. ad Justinianum*).

RESCRIPTUM MARCI PAPÆ

AD ATHANASIAM ET OMNES EPISCOPOS ÆGYPTIOS.

(*Indidem*).

De missione capitulorum Nicæni concilii,

Domini venerabilibus fratribus Athanasio, et universis Ægyptiorum episcopis, Marcus sanctæ Romanæ apostolicæque sedis, et universalis Ecclesiæ episcopus.

Doleo, fratres, et nimium contristor super afflictione vestra, sed oppido consolor, quod vento agitata non estis arundo (*Matth., II*), sed recti in fide inter omnes procellarum et turbinum collectationes

(1) Aditu tantæ miseræ oberato, ut habet ms. c. Justelli.

versia inter Africanam ecclesiam et Romanos pontifices Zosimum et Bonifacium agitata, de numero Nicænorum canonum, hæc epistola illis nequaquam cognita fuerit. Secunda, quod Athanasius, ut ex præcedentibus constat, hoc tempore in Galliis exulaverit, adeoque hac de re ad Romanum pontificem Alexandria scripsisse non potuerit. Tertia, quod grassatio illa in Alexandrinam ecclesiam multis annis post hæc tempora sub Constantio contigerit, quando nimirum Athanasio expulso Gregorius quidam Arianus in locum ejus ordinatus est, ut testatur Athanasius in epistola ad omnes orthodoxos. Quarta, quod Marcus nonis octobris hujus anni Constantino imperatore adhuc vivente defunctus fuerit: ideoque non possit non suspectum esse de fide quod 10 kalendas novembris Nepotiano et Facundo consulibus hanc epistolam scripsisse legatur. Quinta. Si Marcus papa exemplum

incessanter perduratis. Lectis ergo (S. Leo, *epistol.* 85) fraternitatis vestræ litteris, vigorem constantiæ vestræ, quem olim noveramus, agnovimus. Congratulantes vobis, quod ad custodiendum Christi gregem, pastorem curam vigilanter insequi- mini, ne lupi, qui sub specie ovium, subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerent, qui non ad hoc subintrarunt ut aliqua correctione proficiant, sed ut ea quæ sunt sana corrumpant. Quapropter moneo, et hortor dilectionem vestram (idem S. Leo, *ep.* 2), ut bonum quod incepistis adminiculante divina gratia usque in finem perducere satagatis, veritatis voce monente: *Beatus qui perseveraverit usque in finem (Matth., xxiv)*. Unde enim beata perseverantia, nisi (S. Leo, *ep.* 92) de virtute patientiæ? Nam, juxta Apostolum: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur (II Timoth., III)*. Quæ non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis, cum persecutionum sævitiam suppleant, et dissimilitudines morum, et contumaciæ inobedientium, et malignarum tela linguarum, quibus conflictationibus communia semper membra pulsantur, et nulla piorum portio conflictatione sit libera, ita ut nec periculis nec otio careant, nec labore. Nam hæc et omnia incrementa (*Cælest. I, ep. ad Gallos, c. 11*) probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantia, atque bonæ voluntatis incrementa, ad Christi gratiam semper sunt referenda: ut in omnibus quæ agimus Deus omni perfecte laudetur tempore.

De capitulorum namque veritate et numero Nicæni concilii, cui vos interfuisse litteris vestræ fraternitatis significastis, a nostris, qui vobiscum una interfuerunt, diligentioribus requisivimus collo- cutionibus, qui ita ut vestræ testatæ sunt litteræ, omnem nobis ordinem exposuerunt, et vestram episto- lam per omnia veram esse testificati sunt: non ut nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitremur. Sed nos et vos, illosque absque ulla in posterum ti- tubatione unum sentire optaremus, et sancta ro- mana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, et Domino providente, et beato Petro apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine ulla hæreticorum in- sultatione, firma et immobilis omni tempore persisteret. His itaque peractis, diligenter requirentes in sancto nostræ et apostolicæ sedis scrinio, eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Silve- stro sunt directa, septuaginta (sicut significastis) ca- pitula illæsa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem et subscriptionem tantorum patrum, et

ejus magni concilii, minime misimus, sed pro eis- dem coram apocrisiariis vestris alia similia, eundem numerum, eademque verba, et ipsam subscrip- tionem continentia, vobis rescribere, et sub certa sti- pulatione et confirmatione mittere curavimus. Et quis est, qui fratribus suis talia (*Attici, ep. CP. ad PP. Africanos*) negare audeat? Nam non negligenda nobis hæc per sancti Spiritus gratiam Dominus docuit, sed fideliter exercenda, et fratribus contra- denda, et docenda distribuit. Hæc apostolorum viva traditio (*Agatho ad Const. Aug., act. IV concilii VI generalis*), hæc est vera charitas, quæ prædicanda est et præcipue diligenda ac fovenda, atque fiducia- liter ab omnibus tenenda. Hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreti- corum novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctori- bus suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini salvatoris di- vinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est evangelii: *Petre, inquit (Luc. XXI), ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Consideret itaque vestra excellens pru- dentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, et in fide recta, atque hæreticis et æmulis Christi repugnare, et numquam a veritatis tramite declinare, quoniam Dominus et Salvator om- nium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubi- tavit, et proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit. Quod apostolicis ponti- fices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fe- cisse semper cunctis est cognitum, quorum et pusil- litas mea, licet impar sit, et infirma, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedisequa cupit existere. Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Domini Jesu Christi, quam apostoli prædicaverunt, prædicare ne- glexerimus. Væ etiam erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummularis jubemur, id est, christianos populos imbucere et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si ser- monis ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus, et de officio suscepto, rationem justus judex Christus Deus noster districtam exegerit? Ideo, fratres, hor- tor (S. Leo, *ep.* 2) dilectionem vestram, obtestor et

NOTÆ SEVERINI BINII.

misisset ad Alexandrinos ex Romano scrinio, certo convenissent deinceps inter se exemplaria Romanum et Alexandrinum: quomodo ergo in exemplari a sancto Cyrillo ex Alexandrino ad Africanos misso, isti tres canones de appellationibus deerant, qui in Romano inveniebantur. Idem igitur qui, ut bene con- suleretur assertioni Zosimi et Bonifacii de Nicæno ca-

none extra numerum vicenarium allegato, epistolam illam Bonifacii papæ ad Eulaliu episcopum Alexan- drinum de restituta communionem ecclesiæ Africanæ confinxit, has easdem Marci ad Athanasium, et Atha- nasii ad Marcum confluisse et concinasse putatur Baron. anno 336, num. 59 et 60. Bellarminus, lib. II de Rom. pont. c. 25.

moneo, at qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hæreticos, et inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus extirpetis. Quoniam ut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentæ se non

A poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire. Data octavo kalendas novembris, Nepotiano et Secundo (1) viris clarissimis consulibus.

(1) Facundo anno 336. At jam obierat Marcus ip-sis nonis octobris ejusdem anni. *Octobris* substituunt quidam et inter eos Sigonius lib. iv hist. occid. imp. ut fucum faciant.

ANNO CHRISTI CCCXXVII-CCCLII.

SANCTUS JULIUS PAPA I.

NOTITIA HISTORICA, CRITICA ET LITTERARIA IN SANCTUM JULIUM PAPAM.



§ I. — DE VITA JULII PAPA I.

Ex libro pontificali Damasi papæ.

Julius, natione Romanus, ex patre rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies 18. Fuit autem temporibus Constantii hæretici, filii Constantini, a consulatu Feliciani et Maximini. Hic post multas

B tribulationes in exilio fuit mensibus decem, et post Constantii mortem, cum gloria reversus ad sedem beati Petri apostoli, fecit basilicas duas, unam juxta forum, et aliam via Flaminia; et cæmeteria tria, unum via Flaminia, aliud via Aurelia, et aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, ut nullus clericus

NOTE SEVERINI BINII.

Julius. Vigesima sexta die Octobris, anno Domini 336, qui est Constantini imperatoris ultimus, Julius, civis Romanus, pontificatum Ecclesiæ adeptus est. Cujus initio Constantinus imperator catholicæ et orthodoxæ fidei confessor e vita discedens, tres filios hosce, Constantinum, Constantium ac Constantem imperii sui hæredes reliquit; hoc iis moriturus præcipiens, ut Athanasium, quem non tam relegasset, quam sanguinolentorum hostium oculis ad tempus subtraxisset, tuto in pristinum locum ac dignitatem restituerent. Quam voluntatem patris Constantinus junior, Constantii permissu, executus fuit, ipsumque Athanasium cum reliquis exulantibus episcopis ac presbyteris sedibus suis et ecclesiis restituit. Quo facto, cum Ariani et Eusebiani hæresim suam succumbere viderent, non modo Athanasium novis calumniis onerarunt, verum etiam ipsam Nicænæ fidei formulam, omisso *Consubstantialis* nomine immutare, Ariique hæresim in ecclesiam introducere elaborarunt. Quod ut facilius expedirent, presbyteri alicujus Ariani, penes quem Constantinus magnus suasu sororis Constantiæ testamenti tabulas Constantio revertenti tradendas deposuerat, auxilio freti, principis ambitiosi gratiam et favorem impetrarunt, ac deinde catholicis episcopis, maxime vero Athanasio Alexandrinæ, Eustathio Antiochenæ, Paulo Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopis bello atrocissimo indicto, cruenta tela et jacula in eos immittunt, calumnias novas comminiscuntur, habitisque desuper malignantium conventiculis, innocentes episcopos condemnatos sedibus suis exturbarunt, ac tandem vel exilio vel morte truculenta eosdem interemerunt, et, quod fœdissimum est, Nicænæ fidei symbolum, *Consubstantialis* nomine expuncto, malignose vitiarunt. Ad hanc injuriam a capite divini numinis et sponsæ illius Ecclesiæ propulsandam, Julius pontifex se talem exhibuit, ut omnis ejus pontificatus in fide Nicæna tuenda, et catholicis episcopis, maxime autem Athanasio, defendendis, consumptus

fuert. Quod patebit infra ex notis ad epistolas et concilia sub Julio habita.

Sedit annos 15, menses 2, dies 18. Qui anno Christi 332, pridie Idus Aprilis ex hac vita ad Dominum migravit, reperitur sedisse annis 15, mensibus 5, diebus 17. Ita Baronius, Vaticanos indices secutus, hic num. 1.

Quod Hieronymi chronic. Liberii ingressum refert in hunc annum, confirmat ea quæ paulo ante de Julii obitu diximus.

C *Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem.* Julium pontificem pro exilibus episcopis, Athanasio, Marcello, aliisque pluribus restituendis, multos labores impendisse infra multis in locis patebit; ipsum vero aliquo tempore exilium sustinuisse, præter Platinam, errorem libri pontificalis sequentem, nemo, quod sciam hætenus, asseruit. Quod ait post obitum Constantii ab exilio liberatum fuisse, nequaquam sustineri potest: omnes enim, quotquot sunt scriptores Christiani, sicut ex et gentilibus Amilianus, aperte scribunt, vivente adhuc et imperante Constantio, Liberium Romanæ Ecclesiæ curam egisse, ac post multas exagitationes ab eodem in exilium relegatum fuisse. Quod si verum est, imprudens compilator advertat quomodo se ex hoc laqueo exerat. Ad annum Christi 350, magnus Ecclesiæ catholicæ et sanctorum præsulum patronus, terribilis Arianorum hostis, princeps integerrimæ fidei, exulantium ex Oriente episcoporum vindex, Constans imperator Occidentis imperium tenebat, non video qua ratione, hoc defensore adhuc superstite, Julius pontifex relegari potuerit. Post occisum Constantem imperatorem, Magnentius tyrannus cum Urbe toto occidentali imperio potiebatur; vel igitur auctore Magnentio Julium relegatum fuisse oportuit, quod nemo hætenus scripsisse legitur; vel concedendum est eundem Constantii imperio nequaquam ab Urbe extractum, in regiones externas amandatum fuisse. Vide Baron., anno 352, num. 2 et 3.